

The Digital *Viridarium consolationis* Project

Pars 5: De aliis rebus Caput 7: De commendatione religionis (5)

Idem (Hugo):

Non negat religio quod requirit necessitas nature,
prohibet tamen quod requirit et appetit superfluitas gule.

Non negat religio quod requirit necessitas naturae,
prohibet tamen quod appetit superfluitas gulae.

Hugo de Folieto, *De claustro animae libri quatuor*, 2.19
(PL 176, col.1072B).

Religio assimilatur mulieri caste,
que ab aliquo diligitur ut ducatur in uxorem,
ideo quod pulcra sit,
de genere nobilium sit, quod divitiis habundet,
quod sapiens sit, quod pulcritudine eius delectetur,
et de nobilitate filiorum gloriatur,
ut augeantur sua illius censu.
Huic mulieri potest assimilari religio.
Pulcra est enim in contemplatione,
sapiens in sui circumspectione,
nobilis quia libera est a peccati servitute, dives hereditate.
Hereditas enim eius est regni celestis amenitas.
Amant luxuriosi speciosam, sed non amant castam.
Sic quandoque carnalis animus tactus pulcritudine religionis.
Religionis induit habitum,
cum autem castitatis munditiam invenerit,
displicet quod placuerat.

Religio assimilatur mulieri castae,
quae ab aliquo diligitur ut ducatur in uxorem,
ideo scilicet quod pulchra sit,
quod divitiis abundet, quod de genere nobilium sit,
quod sapiens sit, ut in pulchritudine illius delectetur,
et de nobilitate filiorum gloriatur,
ut augeantur sua illius censu, et serventur sensu.
Huic mulieri assimilari potest religio,
quae pulchra est in contemplatione,
sapiens est in circumspectione,
nobilis quia libera a peccati servitute, dives haereditate,
cujus haereditas est regni coelestis aeternitas.
Amat luxuriosus speciosam, sed non amat castam,
si quandoque carnalis animus tactus pulchritudine religionis,
ejus induit habitum.
Cum autem castitatis munditiam reperit,
displicet quod placuerat.

Hugo de Folieto, *De claustro animae libri quatuor*, 1.18
(PL 176, col.1049D-1050A).